



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXVII. Derisores Sacrarum Litaniarum & supplicationum, non semel
peste punitos esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

molles, & minùs abstemij, omnia ad suas nequitiias pal-liandas secum trahunt, & Scripture sacrè nafum cereum affingunt.

C A P . L X V I I .

*Derisores sacrarum Litaniarum & supplicationum non
semel peste punitos esse.*

Lutherus & eum secuti Magdeburgenses centuria 3. cap. 10. in Tertulliano, processiones & Litanias publicas referunt ad Montani hæretici ceremonias, & Tertulliani errores. Sed, vt omnia, falsò & friuolè. Iubet enim Deus eas indici sèpissimè in Scriptura, vt Ioelis 2. *Canite tuba in Sion, sanctificate ierianum, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, &c. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes mini-* Ioel 2. *stri Domini & dicent: Parce Domine, parce populo tuo & ne des hereditatem tuam in opprobrium.* Per easdem corruerunt muri Ierechuntini, indixitque eas David & Iosaphat reges piissimi. imò eas sanxit Christus suo facto & exemplo dum publica populi processione ingressus est Iero-solymam in die Palmarum cum hymnis & canticis, ramis Matth. 21 psalmarum & ornamentis tapetum. — Carolus Magnus Imper. Litania, inquit, maior more Romano 7. Kalend. Maij celebretur. ita anno 36. Imperij Theodosij, cùm Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans clamauit, *Kyrie eleison,* & liberati sunt. Vidi-mus superiori capite quodd cùm Antuerpia nondū esset nigra illa hæreseos fuligine aspersa, sed tota pulcra sine

Qq 3

ma-

1. Para. 13
2. Para. 20Lib. 6.
Leg. c. 74.

macula sine ruga, in antiqua parentum religione perfuerans, pro auertenda lue Anglica solemnes Litanias indixerit. factum laudauimus quia verè laudabile. at postea extraneorum decepta magis quam suffragata erroribus, quæ veluti communis mercimoniorum parens reiectitiam spumam facili gremio exceperat, nonnihil peregrini aëris adflatu maligno tacta fuit, vnde paulatim hinc inde in debilioribus sui partibus auitæ Catholicæ fidei deliquium pati coepit, ut ex sequenti narratio-ne pleniùs patebit.

Circa annum Domini millesimū quingentesimū sexagesimū-primū, cùm ibidem in platea cochlearia vulgo appellata, detestabili impuræ Veneris vico & scortorum fornice, plerique nouarum rerum studiosi conuenissent diemque festum agerent ob Patres Societatis vrbe submotos, ac pernam bene elixam in medio plateæ adfrentes læti epularentur, ac deinde ad choreas & tripudia se decenterent, ecce paulò post illius plateæ habitatores tam sœua inuasit pestis ut circiter 40. ex ea lue statim extinguerentur, inter quos & Capitaneus & præcipui illius loci incolæ fuerunt. Qui & paucos ante menses, Catholicos scommatibus & dicteriis diuexârant cùm juxta antiquissimum totius Ecclesiæ ritum in diebus Rogationum ab æde sacra D. Michaelis ad Basilicam Deiparæ Virginis sacras Litanias solemniter & religiose peragerent. utriusque facinoris impietatem vñâ vltione Deus vindicauit, vt qui autè dissimulando se mittent & longanimem ostenderat, nunc vindicando se Deū vltionis declararet. quæ dum scribo, intelligo eandem infamem plateam simili lue hoc anno 1625. planè emortuam, Deo haud dubiè horrenda turpitudinum sceleris rursus vindicante.

Beth.

Tilman.
Breden-
bachius
17. coll.
fac. c.43.

Bethsamitæ solummodo Arcam foederis cùm defer-
retur curiosius aspicerant, & ecce tot millia de populo
subitanè morte à Domino percutiuntur. quantò magis
si irrisissent? Cùm ciuitas Aurelianensis à Gothis obside-
retur, S. Anianus urbis eius Episcopus cum Clero per
muros, & moenia Litanias sanctorum decantabat im-
plorando eorum opem per quam ab obsidente hoste
præseruari ciuitas posset. audijt hoc Sacerdos aliquis à
Gothis captus, diffidensque atq; irridens exclamabat:
Cassâ spe duceris Aniane, si credas precibus sanctorum,
hostem te superaturum. similia iam aliæ ciuitates dudū
adhibuere, & nihilominus in hostiū venere potestatem.
Sed audi nū impunè irriserit? Statim diuinitus percussus
plagâ cor eius exedente, mortuus cōcidit. sancte Deus non
irritetur neq; sancti eius, sed de hostibus suis ut ceteri ti-
meant, zelotes ille se vindicat. Religiosior in his fuit ma-
gnus ille & numquā satis laudatus Angliæ Cancellarius &
inictus pro Catholica fide athleta Thom. Morus, qui in Thomas
supplicationibus de more publicis Crucem Sacerdoti in- Staplet.
terdum preferebat superpellicio indutus, vulgaris Cleri- in vita
ci vel æditui officium subire nihil detrectans, sed se Thomas
spōte offerens, nihil erubescens, immò vehementer gau- Staplet.
dens, & quasi cum Dauid gloriabundus ante arcā Do- in vita
mini tripudians dicere solitus: Vilior siam plus quām fa- cap. 6.
ctus sum, & ero humilis in oculis meis. monitus à suis
vt in diebus Rogationum, quando propter itineris lon-
gitudinem multū ambulandum est, propter dignita-
tem personæ suæ equo vehi vellet, recusauit, dicens:
Nolo Dominum meum peditem (intelligebat crucifixi
imaginem) eques sequi. O dictum verè aureum &
magno heroe dignum! quod proceres multi sibi ho-
die proponant & imitentur. Plura iam anteā enumeratis
similia vel affinia diuinę punitionis exempla proferrem,
sed

sed sufficerint hæc pauca Catholicis in deuotione continendis : hæreticis autem ab errore reuocandis aut ad minimum à blasphemis coercendis, quæ hoc seculo, pro dolor! in sanctos Dei amicos, immo & in sanctorum reginam, Dei genetricem sunt adeò frequentes. Sed non dormit, at vindex excubat Dei manus semper vigilante virgam à Ieremia propheticè visam in hostes amicorum suorum vibans, ut eos plectat & puniat. Viginti circiter anni sunt ex quo Hollandi B. Virginis Aspericollensis facellum expilarunt. Erat inter eos miles habens equum cœcutientem, qui veniens ad facellum, irridens dixit: Si Maria hîc miracula facit, illuminet meum equum. audijt virgo blasphemū, moxq; equo visū restituit, ipsum verò equitē blasphemū excæcauit. quod socius eius ante mortem, & in ipsa morte publicè confessus est Werteti supplicio postmodum affectus ob aliud crimen. Iurauerat alius se suis manibus mulierculæ Hallensi (ita vocabat statuam B. Virginis) nasum abscissurum. Vix dixerat, & ecce plumbeâ glande ex vrbe Hallensi missâ nasus ei Lips. in ipsi aufertur. qui multos annos posteà miser vixit fuitq; mir. virg. Hall. & Corn. à ipsis Hollandis assiduo ludibrio, qui eum sæpiùs Hallas mittebant pro naso recuperando. Quid hoc ipso anno Lap. in cap. 14. Gochæ interceptoribus sacram B. Virginis statuam ibidem sacrilegè blasphemantibus contigerit, notius est Leuit. Ierem. i. quam vt pluribus referam. *Virgam vigilantem ego video.* quia vigilabit Dominus super verbo suo ut faciat illud. Non enim, vt benè S. August. minus peccant qui blasphemat Christum (& proportionatè, sanctos eius) regnante in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.

Ierem. i.

Lips. in
mir. virg.
Hall. &
Corn. à
Lap. in
cap. 14.
Leuit.

Ierem. i.

S. Aug.
in illud
Matt. 26.
Blasphem.
mavits.

CAP.